

sarco havia levà una zanza che 'l signor Renzo feva zente per amazarlo a requisition dil re Christianissimo; per il che *etiam* lui havia fato alcuni fanti e stava in casa con guardia.

*Di sier Antonio Donado patron di la galia retenuta in Bischaja, fo letere di 23 Fevver, date . . . drizate a sier Alvize Pixani procurator.* Come era stato a Vitoria dal Papa, ch'è mia 8 de li, e portatoli alcuni presenti per valuta di ducati . . . Qual l'ha visto volentieri e acceptato li presenti, e promessoli la restitution, nè ha voluto acceptar presenti di alcun altro. *Item*, scrive di la galia, che . . .

- 63 *Exemplum litterarum, quas Sacrum reverendissimorum dominorum cardinalium Collegium ad sanctissimum dominum nostrum Hadrianum electum Romanum Pontificem dedi, sub die 18 Martii 1522.*

Beatissime et Sanctissime pater et domine noster colendissime.

Post pedum oscula beatorum. Felix ad nos nuntius dominus Antonio de Estudillo Sanctitatis Vestrae camerarius secretus, quem nos statim post electionem de Sanctitate Vestra factam ad eam miseramus, heri circha verperas, dum in palatio apostolico et nostra generali congregatione essemus, cum litteris Sanctitatis Vestrae ultima præteriti in oppido Victorie datis reversum est, hodieque Reverendus dominus Villelmus Enkenvort Sanctitatis Vestrae procurator, et nobis jampridem carissimus, alteras Santitatis Vestrae litteras XVIII præteriti datas nobis reddidit, aliarum quoque exemplum die XIII ejusdem ad se missum nobis nondum redditurum ostendit; ac tam ipse quam Antonius prædictus, oretenus aliqua Vestrae Sanctitatis nomine nobis retulerunt; quæ omnia, cum debitis honore ac reverentia summoque plausu et lætitia accepimus, exultavimus si quidem et benediximus hos duos dies qui nobis duorum mensium præteritorum tristitiam moeroremque facile depulerunt. Resplenduit Urbi, et Curie lux elarior; sol solito magis refulsit, tenebræque suspitionum, timorum et curarum uno omnes momento evanuerunt. Cum enim in Sanctitate Vestra ad Summum Pontificatum eligenda plus nos ejus doctrina vitæque santimonia impulissent, quam absentiae longiquitas milleque interim periculorum rationes retraxissent moerebamus, dolebamusque nostram illam piam mentem adeo qui nos inspira-

verat deseri et pastorem ovili, sponsum Ecclesiae, principem populis a Deo datum ab omnibus inveniri non posse. Accesserat rumor ipsa ex mora confirmatus de Sanctitatis Vestrae non solum ægritudine, sed (quos Deus diu differre dignetur) etiam de morte. Ardebant interim omnia; bello conflictabantur; metu scatebant suspicionibus, et cimba Petri suo rectore carens, et suspensa undique pulsabant fluctibus, nec nos, tamquam sine capite membra, tot simul, et tantis poteramus occurrere; agebamus invigilabamusque nos quidem pro viribus, 63<sup>\*</sup> sed medio sæpe in regimine et gubernaculis aut externa vi consutiebatur aut internæ nostrorum subditorum seditiones agitabant. Illud vero statum ecclesiasticum effervere jam faciebat, ac tum ira, tum desperatione extra offitium egredi, quod nullus a Sanctitate Vestra nuntius nullæque litteræ reddebantur, et septies per nos ad eam scripto nihil ad nos ab ea responsi, aut de ea certitudinis referebatur. Quæ quidem incertitudo et ambiguitas suæ residentiae non minus quam asperitas hiemis, bellorum turbines, et viarum discrimina nostrorum Legatorum discessum sunt remorata. Aspersit igitur Sanctitas Vestra aquam salutare animis atque oculis nostris; mannam demisit agentibus in deserto, et rore suarum litterarum beatæ omnes refovit ac recreavit, quidquam tam humanæ ad nos noster Pater et Dominus præscribit, sanctitate pater, auctoritate Dominus, utrumque tamen nobiscum obliviscitur, se confratrem atque amicum appellat, dignissimumque pontificatu exhibet, ut olim doctrina et probitate, ita nunc modestia et humanitate, sed hoc in litteris et verbis est. Quid illud quod in rebus ac factis est quam dignissimum laudemque summe commendandum nihil vult agere Sanctitas Vestra pro Pontifice quo ad solitæ ceremoniæ peragatur, Legatos nostros expectat, nostra acta confirmat, regimen continuat, rogat quod poterat imperare, seque omni parte litterarum suarum ad suas creaturas et servitores humanissime reclinat. Domine salvum fac nobis Pontificem hunc, et ex corde nos in hac die qua invocamus te, qui se humiliat cum sit exaltatus, qui innocentia e humilitate ingreditur, qui se imparem tanto oneri facit obsequentem, tamen Deo exhibet, qui nostra consilia, nostramque auctoritatem extimat et electores suos larga gratiarum actione remuneretur. Sed Sanctitas Vestra laudes ac merita prosequi nec pauci tempus neque usus epistolæ est. Deus illam satis laudavit, quum suum vicarium summumque in terris Principem constituit. Ille enim tanti muneris auctor, nos Divinæ voluntatis executores